



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Capvt Decimvmno[n]vm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

ARGVMENTVM.

Post purpurata meretricis, sive Babylonis damnationem commemoratur Beatorum de eius damnatione laetitiam, & iudicium, imo & exultatio sedenti super thronum, quod tandem de impura meretrice poenas sumpserit. Deinde Christi ad suos animandos, ad tuendos, Antichristumque, atque eius sectatores perdendos aduentus cum præcellenti gloria, & regali splendore describitur.

CAPVT DECIMVM NOMVM.



OST hæc audiui vocem multarum multarum in cælestium: Halleluia: salus, & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera, & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corripuit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerunt: Halleluia. Et fumus eius ascēdit in secula seculorum. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen, Halleluia. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum pusilli, & magni. Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Halleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ Agni, & uxor eius preparauit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cænam nuptiarum Agni uocati sunt. Et dixit mihi: Hæc uerba Dei uera sunt. Et cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide, ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimoniū Iesu: Deum adora. Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ. Et uidi cælum apertum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, uocabatur Fidelis, & uerax, & eum iustitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse. Et uestitus erat veste aspersa sanguine: & uocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in cælo, sequēbantur eum in equis albis, uestiti byssino albo, & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex utraque

parte acutus: ut in ipso percussat gētes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcet torcular vini furoris irae Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. Et vidi unum Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna dicens omnibus aëribus, quae volabant per medium caeli: Venite, & congregamini ad cenam magnam Dei: ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum. Et vidi bestiam, & reges terrae, & exercitus eorum congregatos ad faciendum praelium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae, & qui adoraverunt imaginem eius. Visi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure: & ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aëres satura sunt carnis eorum.

COMMENTARIUM

UNICUM EXEGETICUM

De explanatione huius capitis.

Visio imaginaria proponitur, cuiusque literalis sensus traditur.

I.
Varia lectio.

R

Calitum laticia de Babilonis damnatione.

Ob id agunt Deo gratias.

Rimum audiuit Ioannes quasi vocem tubarum multarum in caelo dicentium: *Halleluia*, salus, & gloria, & virtus Dei nostri. Nōnulli legunt, *Tubarum multarum*, vel ut D. Ambrosius & Beda; ceterum, *tubarum*, legendum est, ut patet ex Graeco contextu, in quo legimus, *ὄχη τῶν πνεύματων*, significaturque infinita prope modum Calitum multitudo; qui simul de meretricis damnatione letabantur, dicebantque: *Halleluia*, hoc est, *laudate Deum*; tamque vocem idem idē replicabant. Sequitur: *Et fumus eius*, id est, meretricis, siue Babilonis incendium, quo videlicet cōflagraverat, *ascendit in secula seculorum*; quia eius supplicia in omnē aeternitatem perdurabit. Secundō, Viginti quatuor seniores, & quatuor animalia ceciderunt in facies suas, & adoraverūt Deum sedentē super thronū, dicentes: *Amen, Halleluia*. Quoniā prestantissimi quinque Sancti, & Heroēs, Praelati, ac Doctores Ecclesie, qui per viginti quatuor seniores significat, & quatuor Evangelistae in quatuor animalibus adūbrati de eo Babilonis incendio; & in die iudicii pro reliquis omnibus Beatis Deo gratias immortales egerūt; quā ob causam dicuntur cecidisse in facies suas; quod non dicitur fuerat de tribus, in quibus inferiores sancti exprimitur Terū,

Tertio audita iterum est quasi vox turbæ magnæ, & sicut vox aquarum multarum, & sicut vox tonitruorum magnorum dicentium: *Halleluia, quonia regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudemus, & demus gloriæ ei, quia venerit nuptiæ agni, & uxor eius preparavit se.* Significatur post gratias illas habitas, actasque à viginti quatuor senioribus, & quatuor animalibus omnes omnino cœlites lætabundos acclamasse & plausisse, quod iam dies iudicij adveniret, perfecta que Christi cum Ecclesia forent nuptiæ in ipsa beatitudine celebrandæ, ipsaque Ecclesia, quæ est Christi uxor, iâ parata esset, vestitaque omni indumentorum hoc est, virtutum, gratiarumque plenitudine idonea iam esset, quæ ad spõsi thalamum admitteretur. Unde subiungitur: *Datumque est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum, inquit, Ioan. iustificaciones sunt sanctorum.* Quibus verbis significat sponsa ornata esse byssinũ, hoc est, iustificaciones, siue merita sanctorum, suamamque innocentiam, & vite puritatẽ: est enim byssinũ genus lini tenuissimũ & candidissimũ. Quarto, dictũ est Ioanni ad Angelo, qui ei loquebatur: *Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Tunc Ioannes cecidit ante pedes Angeli ad eum adorandum: quod ita abhorruit Angelus, ut ei quàm primum diceret: *Vide, nescerũ: conseruum tuus sum, & fratrem tuorum habentium testimoniũ Iesu, Deum adora.* Quo loco per habentes testimoniũ Iesu intelligit communis expositio, quam sequuntur Ambr, Beda, & Rupert. Prophetas, qui propter spiritum prophetiæ dicuntur habere testimoniũ Iesu. Idẽque disertè explicavit Angelus, cum subiunxit: *Testimoniũ enim Iesu est spiritus prophetiæ.* Et luculentius adhuc capite ultimo, cum dixit: *Et fratrum tuorum prophetarum.* Iuxta quam sententiã, quæ vera est, non solum sunt accipiendi Prophetæ legis veteris, sed multo etiam magis ij, qui tempore Ioannis habebãt spiritum prophetiæ.

Sponse Christi ornamenta.

Per habentes testimoniũ Iesu Prophe-ta intelliguntur.
Ambrg.
Beda.
Rupert.
Apo. 22. 9.

Quinto, Vidit Ioannes cælũ apertum: *Et ecce equus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax: & cum iustitia iudicat, & pugnat.* Communis expositio per equum album humanitatem Christi accipit propter puritatem: per sessorem, siue equitem verbũ Dei, quod humanitatẽ in unitatem suæ personæ assumpsit: nec locus, quidquid aliud dicãt Galiam expositionem patitur. Paulõ enim post subiungitur: *Vocabitur nomen eius verbum Dei.* Apellatur hoc loco Christus *fidelis, & verax:* quia fidem olim datam de aduentu suo ad iudicium de remunerandis predestinatis ac puniendis reprobis in fine mundi cumulatissimè soluet. Ad significandam verò summam eius in iudicando æquitatem dicitur cum iustitia pugnare, hoc est, nunquam iniustum bellum mouere. Sexto, *Oculi eius sicut flamma ignis:* (quod iracundiam, & furorem in damnandis impiis demonstrat) *& in capite eius diademata multa:* quia omnem in omni genere potestatem, & uniuersa regna in se vno continet. Habet nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, quia nomen eius, quod est verbum Dei, à creata intelligentia comprehendere non potest. Septimo, *Erat vestitus veste aspersa sanguine.* Quidam ex recentioribus existimant hanc vestẽ aspersam sanguine significare cruentum supplicium de persecutoribus sumendum, venturumque Christum ad vindicandum sanguinem sanctorum ab Antichristo, eiusque sectatoribus profusum: sed istam tamen vestem aspersam sanguine non ipsius Christi, sed sanctorum esse. Quemadmodum, inquit, si quis ad ultionem amici occisi procedens ferret secum vestem eius sanguine tinctam, ut sanguinis amici recordatione se magis ad eum vindicandum incitaret. Verisimilior tamẽ est communis expositio, hanc vestem eiusdem Christi esse, & ipse contextus sonat, non verò sanctorum: atque adeo indicari humanitatem Christi olim à Iudæis sanguine cruentatam, & etiam nunc

Humanitas Christi equus albus. Verbum scriptor.

Christi in impijs furor, hoc nomen potestatis.

Nomen eius incomprehensibile.

Christi vestis aspersa sanguine quid sit.

Illius humanitas per eam intelligitur.

vulnerum cicatricibus rubicundam. Accedit, quod Christus potissimum non tam ad Sanctorum sanguinem, quam ad suum ipsius vindicandum in iudicium procedet, ut rectius suam ipsius vestem, id est, carnem tinctam sanguine, quam Sanctorum ostentare debeat.

II Nam quod corpus Christi vestimentum cruentum sanguine appellari soleat in factis literis, patet ex illis verbis Esaiæ 63. *Qui est iste, qui venit de Edom, tinctus vestibus de Borsia: iste formosus in stola sua, gradienti in multitudine fortitudinis sue: Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari? Torcular calcanti solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Quo loco quamvis*

quoad literam sermo sit de Christo ad instar Regis victoris, qui propter multitudinem hostium à se occisorum in prælio totus sanguine tinctus revertitur, ut ex ipso contextu manifestum est: non desunt tamen, qui per rubra vestimenta humanitatem Christi accipiant suo ipsius sanguine in passione aspersam, & cruentatam, ut sit sensus, de sanguine quidem hostium, hoc est, demonum metaphoricè, tinctum fuisse, quod eos scilicet vicerit, ac debellaverit: id tamen per suam ipsius passionem, & sanguinem præstitisse, ut ipsa passio victoria appelletur; & sanguinem proprium fundere re ipsa fuerit hostes suos interimere, & usque ad intertentionem delere. Ita enim hunc locum intellexit Tertul. lib. quarto adversus Marcionem, cap. 40. *Spiritus, inquit, propheticus veluti iam contemplantus Dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum ut in ea passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcat, & expresse vi passionis tanquam de torculari, quia exinde quasi cruentati homines de vini rubore descendant, iuxta illud: Lababit in vino stolam suam, & in sanguine vineæ pallium suum: stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem. Vbi cernis Tertull. indumentum Christi rubrum non de hostium cruento, sed de suo ipsius sanguine accipere: eodemque modo vestem hanc aspersam sanguine accipiendam esse, ut merito existimari possit Ioannem hoc loco caput Esaiæ citatum interpretari voluisse.*

III *Octavo, Exercitus, qui sunt in celo, sequebantur eum in equis albis vestiti byssino albo, & mundo. Hunc locum illustravit D. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 12. Equus, inquit, est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit & ab illicitis continentia freno restringere, & rursus charitatis impulsu exercitatione boni operis relaxare. Equitis ergo nomine anima sancti viri exprimitur, quæ iumentum corporis bene subditum regit: vnde & Ioannes Apostolus in Apocalypsi Dominum contemplantus ait: Et exercitus, qui sunt in celo, sequebantur eum in equis albis: multitudinem quippe sanctorum, quæ in hoc martyrij bello sudaverat, rectè exercitum vocat: qui idcirco in equis albis sedere describuntur, quia eorum corpora & luce iustitiæ, & castimonie candore claruerunt. Hæc ille. Byssinum autem album, & candidum tum vitæ puritatem, tum gloriæ candorem significat, nisi iuxta ea, quæ superius dicta sunt, sanctorum præclara merita malis accipere: siquidem ex Ioanne habemus byssinum candidum esse iustificationes sanctorum. Quæ verò de gladio acuto ex Christi ore procedente, dicuntur, deque virga ferrea, in qua gentes gubernabit, fusè explicata sunt capite primo. Illud hoc loco Ioannes adiunxit, quod habet in vestimento, & in femore scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium: quam sententiam inferius illustrabimus.*

V Nondè, Vidit Ioannes unum Angelum stantem in sole, qui clamavit voce magna omnibus aurbus, quæ volabant per medium cæli: *Venite, & congregamini*

ad

cenam magnam Dei, ut mādūcētis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruatorum, & pu-
 fillorum, & magnorum. Metaphoricè exprimitur magnitudo victoria, quam Chri-
 stus de Antichristo, eiusque sectatoribus comparabit. Quemadmodum enim
 commisso aliquo magno praelio, portaque victoria solent ad occisorum castra
 vultures, alieque aues carniuoræ aduolare, cadaueribusque saturari: ita modò
 victis, prostratisque omnibus Christi hostibus quasi ad eorum cadauera sub ea-
 dem metaphora omnes volucres conuocantur. Aut certè ita, vt verba sonant,
 accipiendum est, (vt plerique sentiunt) magnam scilicet futuram sectatorū
 Antichristi stragem, Deo nimirum ignibus, & fulgurū multitudine è cælo pugnan-
 te, ad quorum cadauera deuoranda volucres vndique aduolare debeant. Hac
 enim similitudine in sacris literis qualibet magna strages, & cædes significari
 solet, veluti Hieremiæ septimo. *Et erit morticinium populi huius in cibos volucris cæ-
 li, & bestis terræ: & non erit, qui abigat.* Et Ezech. 39. *Dic omni voluceri, & vniuersis ani-
 bus, cunctisque bestis agri: Conuenite, properate, cōcurrite vndique ad vltimam meam, quam
 ego immolo vobis, vltimam grandem super montes Israel: vt comedatis carnem, & bibatis
 sanguinem. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis.* Quoniā ve-
 rō omnes Principes, Reges, ac Dynasta Antichristi partibus adherent: idcir-
 co fit mentio Regum, tribunorum, & fortium. Et quoniam etiam hæc victoria
 erit clarissima, Antichristique euersio per Christum toto orbe notissima: idcir-
 co Angelus, qui hanc victoriam denuntiat, in sole quasi in loco perspicuo & ce-
 leberrimo stare describitur, magnaque voce conclamare.

Magna stra-
 ges in Scri-
 ptura qua si-
 militudine
 explicetur.
 Hier. 7 31.
 Ezech. 39. 17.

Postremò, Exitus praelij describitur verbis consequentibus. *Vidi, inquit, bestiam,*
 hoc est, Antichristum, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum pra-
 elium cum illo, qui sedebat in equo, id est, cum Christo, & cum exercitu eius, id est, cum
 omnibus fidelibus. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta, hoc est, insignis
 ille prædicator Antichristi præcursor, de quo sæpe diximus. Qui fecit signa coram
 ipso, id est, coram Antichristo, quibus seduxit eos, qui acceperunt charactere[m] bestia, &
 qui adorauerunt imaginem eius.* Explicata sunt hæc fusè in superioribus. *Et vini missi
 sunt hi duo in stagnum ignis ardentis, & sulphure:* nam vt eodem loco diximus, Anti-
 christus, & eius præcursor viui à terra absorbendi sunt; quemadmodum manife-
 stè colligitur ex his verbis. *Et cæteri, inquit Ioannes, occisi sunt in gladio sedentis super
 equum, qui procedit de ore ipsius.* Hæc est literalis huius capituli explicatio: nunc præ-
 cipuas sententias breuiter percurramus.

VII.
 Praelij scilicet
 exitus.

Quid vox Halleluia significet.

Audui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium, Halleluia.

SECTIO II.

Quoniam vox hæc non solum hoc capite ponitur, sed etiam creberrima est. **I.**
 In sacris literis, non erit abs re, quæ sit eius germana vis, & significatio, ex-
 plicare. Primum itaque posita reperitur Psalmo 104. & viginti psalmis pro titu-
 lo inscribitur, in quibus omnibus magnifica Dei opera celebrantur, magnā-
 que in eis est exultatio. Quæ est annotatio Cassiodori in psalmum 104. in cuius
 psalmi titulo quidam vnum *Halleluia*, alij duo ponunt. Nimirum D. Hieron.
 hanc regulam dicit esse tenendam, vt vbiunque duo *Halleluia* præscribuntur

I.
 Vbi reperia-
 tur vox Hal-
 léluia.
 Cassiodor.
 Regula ex
 D. Hieron.
 de eadem,

psalmo, vnum sciamus ad finem prioris psalmi, alterum ad eum, qui sequitur, spectare. Porro sciendum vocem *Halleluia*, Hebraicam esse, nec simplicem, sed compositam. Etenim *Hallelu* imperatiuum est Hebraicum, id est, *Laudate*: *ia* vnum ex decem Dei nominibus. Itaque *Halleluia* idem est, atque *Laudate Deum*, à radice *Halal*, quæ propriè significat vocem extollere cum læticia, vt in rebus lætis, & prosperis fieri solet, quemadmodum docet D. Hieron. in epistola ad Marcellam.

Idem. Vnde etiam sumitur pro *insanire*, veluti. 1. Reg. 21. cum dicitur de Dauide, quod coram Rege Achis se stultum simulauerit, ne collaberetur inter manus eorum; Hebraicè, *Insaniebat in manu eorum*, vbi est idem verbum *Halal*. Et Eccles. 2. pro eo, quod nos habemus, *Risum reputauit errorem*, est Hebraicè, *Risui dixi: Insanis, seu insanire facis*. Quæritus ergo D. Hieron. à Marcella de significatione vocis *Halleluia*, ita respondit: *Nuper, cum pariter essemus, quæstisti, quid ea verba, quæ ex Hebræo in Latinum non habemus expressi, apud suos sonarent, curque sine interpretatione sint posita, ut est illud, Halleluia, Amen, Maranatha. Respondemus breuiter siue Septuaginta interpretet, siue Apostolos id curasse, vt quoniam prima Ecclesia ex Iudeis fuerat congregata, nihil ad credentium scandalum innotarent: sed ita vt à paruo imberberat, traderentur postea verò, quàm in vniuersas gentes Euangelicus dilatatus est sermo, non potuisse semel suscepta mutari. Igitur *Halleluia* exprimitur *Laudate Dominum: Ia* quippe apud Hebræos vnum de decem Dei nominibus est. *Amen* verò *Aquila*, vt in eo quod vos exprimit, quod nos fideliter possumus dicere, *Septuaginta*, vt oportet trāstulerunt, id est, *Fiat. Maranatha* verò magis Syrum, quàm Hebraicum est, & interpretatur: *Dominus noster venit: vt sit sensus. Si quis non amat Dominum Iesum Christum, Anathema sit: & illo completo deinceps interpretatur: Dominus noster venit, quod superfluum sit aduersus enim odium pertinacibus velle contendere, quem venisse iam constat. Hactenus Hieronymus.**

II. Hæc de parte illa *Hallelu*, id est, *Laudate*. Quod ad alteram spectat, quæ est, *Ia*, D. Hieron. in epist. ad Marcellam, quæ incipit, *Nonagesimum psalmum legens*, decem Dei nomina commemorat. Primum est *El*, quod Septuag. *Oeōy*, id est, *Deum*: *Aquila* etymologiam eius exprimens *Ισχυρός*, id est, *fortem* interpretatur, vnde nomina *Michael, Gabriel, & Raphael*. Secundum *Elohim*, & *Elohe*, quod & ipsum *Deum* dicitur. Tertium *Sabaoth*, quod Septuag. *Virutum*: *Aquila* exercituum trāstulerunt. Quartum *Elion*, quod nos *excelsum* dicimus. Quintum *Eser eheie*, quod in Exodo legitur, *Qui est*. Sextum *Adonai*, quem nos *Dominum* generaliter appellamus. Septimum *Ia*, quod in Deo tantum ponitur, & in *Halleluia* extrema syllaba sonat. Octauum *Tetragrammaton*, quod ineffabile putauerunt, & his literis scribitur, *Iod, He, Vau, He*: quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis literis repererint, *Pipi*, legere confueuerunt. Nonum *Saddai*, quod nos *robustum*, & *sufficientem* ad omnia perpetranda accipere possumus. Decimum quanquam D. Hieronymus non ponit distinctum ab aliis, siquidem *Elohim*, & *Elohe* pro duobus enumerat, quæ nos tamen pro vno, & eodem reputauimus, affertur à Galatino libr. Arcan. 2. capit. 15. & est *Agla*, quod infinitam potentiam Dei significat. Cernis iuxta D. Hieronymum nomen *Ia* soli Deo attribui, quam ob causam sæpe in sacris literis simul cum nomine ineffabili ponitur, veluti *Elaiæ* vigesimo sexto. *Ie Ia Iehonab*, pro eo, quod habemus, *In Domino Deo*.

Cur Angelus ille non consensit, vt Ioannes sibi ad pedes accideret,

Et dixit mihi: Vide, ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum.

SECTIO III.

CVm Ioanes ad eius Angeli, qui secum loquebatur, pedes prouolueretur, vt cum adoraret, non se tanto honore dignatus est Angelus, sed dixit: Vide, ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora. Et quidem si Ioannes Diuinos ei honores tribuere decreuisset, meritò eum Angelus repulisset. Quæ fuit sententia D. August. q. 61. in Gen. & li. 20. contra Faustū Manichæum c. 25. vbi ait hunc Angelum tanto eum splendore apparuisse, vt Christus ipse existimari poterit à Ioanne. Quæ sententia non displicet D. Thomæ secunda secunde, quæst. 84. art. 1. ad primum. Verùm cum longè probabilius sit Ioannem nullam falsam existimationem habuisse circa hunc Angelum, nec illi voluisse tribuere adorationem latria, sed venerationem, quæ in Angelum beatum caderet, eo vti maxime, quòd semel hoc capite admonitus iterum idem facere aggressus fuerit cap. 22. itaque fuisse repulsum ab Angelo, non quòd in eo male ageret, sed ex quadam Angeli vrbanitate, & reuerètia: meritò aliquis querat, cur tam grauitè Angelus eam venerationem recusauerit, Vide, inquit, ne feceris, conseruus tuus sum: Deum adora. Augeturque dubitatio ex eo, quòd in veteri testamento legimus Angelos istiusmodi venerationem non inuitos excepisse, veluti Iosue 5. vbi dicitur Iosue Angelum adorasse.

Prima ratio, quam tradunt D. Ambr. Rup. Richard. de S. Viçt. Beda, Ansbert. Pann. Haymo, & Hugo Card. ea est ob mysterij incarnationis reuerentiam Angelum eiusmodi adorationem repulisse. Redemptio, inquit Ambr. sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, vt filij Dei, sociique Angelorum efficerentur: ideoque perimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum, quapropter conseruum se Ioannes caterorum unque fidelium vocat. Hæc ille. Eandem rationem affert D. Greg. hom. 8. in Euangelia. Prius, inquit, quam Redemptor noster nasceretur per carnem, discordia cum Angelis habuimus, quorum claritate, atque munditia per prima culpa meritum, per quorundiana delicta longe distabant. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos a suo consortio deputabant Angeli ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem nostrum, recognouerunt nos Angeli ciues suos. Quia enim cæli Rex terram nostram carnè assumpsit, infirmitatem nostram illa iam Angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram Angeli redeunt: intentanem prioris discordia postponunt: et quos prius infirmos, ab electis que despexerat, iam socios venerantur. Hinc est enim, quòd Loth, & Iosue Angelos adorant: hoc tamen adorare prohibentur. Ioannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit: sed tamen idem hunc Angelus, ne se debeat adorare, compescuit dicens. Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Quid est, quòd ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodum verò adorari refugunt: nisi quòd naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt prostratam sibi videre perimescunt: nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cæli Rege venerantur: nec habere dedignantur hominem iucium, qui super se adorant hominè Deum? Curemuse, go fratres Charissimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in æterna præsentia & Deiciet, & Angelis eius æquales sumus. Hactenus ex Greg. Itaque ante Incarnationem excipiebant Angeli non inuiti hominum adorationes: at post Incarnationis mysterium non amplius passus est Angelus se ab homine adorari, quòd per assumptionem humana natura longè Angelicam superauit.

Voluisse adorare ut Deus creditur. D. August. & D. Tho. oppositum probabilius. Cur ita graueret Angelus recusauerit. Iosue 5.

Prima ratio, ob reuerentiam incarnationis. Incarnatio D. Ambr. Rupertus. Rich. Viçt. Beda. Ansbertus. Pannon. Haymo. Hugo Card. D. Gregor. Inter homines, & Angelos discordia, & concordia. Loth, & Iosue non tamen Ioanni permissum. Causa immunditia.



III. Secunda ex virginitate. Petr. Dam. Secunda ratio depromi potest ex virginitate, in qua Angelus iste Ioannem nō hominem, sed Angelum multo se nobiliorem agnoscebat, quā maxima est virginitatis prerogativa: quippe quā hominem faciat superiorem Angelis, quā de re multa diximus cap. 14. Hanc rationem reddit Petrus Dam. ferm. 1. de excellentia B. Ioannis Euang. *Refugit, inquit, obsequium ab illo suscipere, quem nouerat apud communem iudicem locū gratiā familiariter obtinere. Nō uult adorare, quē de cernebat aqualem fratrem recognouit, socium iudicant, subiectionis obedientiam nō accepit. Quamuis enim in omnibus sanctus semper sit Angelica munditiā contubernalis, & cognata uirginitas: beatus tamen Ioannes tanto reliquos uirgines superat, quā uirginitati Mariæ per sedulitatem, ac perpetuā custodiā meritum appropinquat: a qua sola uidelicet proceditur: quia uirginalis fecunditas, quæ est in Mariâ, nullius est omnino meritis comparanda. Sed sicut ueneranda matris Domini uirginitas beati Ioannis uirginitatem excedit: sic ipse pro glorioso eius contubernio ceteros à mundi primordiis uirgines antecellit.*

III. Tertia ex sacerdotio. Malach. 2. 7. Sacerdos Angelus. Malach. 2. 7. Tertia ratio lumitur ex sacerdotio: cum enim Ioannes Sacerdos, & Pontifex esset legis gratiā potestatem habens duplicem altissimam, uidelicet remittendi peccata, & confectandi corpus Christi: quā ob causam omnibus Angelis etiā supremis longē prestabat: merito iste Angelus cum sibi ad pedes accideret ferre nō potuit eo potissimum, quod etiam Sacerdos Angelus appellatur, Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Quare merito nō passus est Angelus se à Ioanne utpote Sacerdote legis gratiā adorari, quia eum tanquam alterum Angelum multo se nobiliorem esse propter sacerdotale munus intellexit.*

V. Triplex hæc ratio non literalis. Recte quidem, & ingeniosè hæc omnia dicuntur: sed tamen ad cōtextum minus accommodatè. Itaque nullam superiorum expositionum literalem, germanamque esse arbitramur, idque meo iudicio euidenter demonstratur ex ipsismet uerbis Angeli. *Vide, inquit, ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora: testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ. Ex quibus manifestè euincitur Angelum nō spectare ad Incarnationis mysterium, neque ad uirginitatis prerogatiuam, neque ad sacerdotium, sed tantum ad spiritum prophetiæ: siquidem per habentes testimonium Iesu intellexit habentes spiritum prophetiæ: ut ipse statim fuit interpretatus: Testimonium enim, inquit, Iesu est spiritus prophetiæ. Probatūque idem luculentius ex capite ultimo, ubi cum iterum Ioannes ad pedes eiusdem Angeli accideret, respondit Angelus: *Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui seruant uerba libri huius: Deum adora. Quare germana ratio, cur Angelus passus non est Ioannē prouolūtum ad suos prouolūtum pedes iacere, ea fuit: quoniam reueritus est in Ioannē spiritū prophetiæ: fratres uerò Ioannis appellat, uel ueteres Prophetas, uel alios Ioannis æquales, qui Christum annuntiabant, & spiritum quoque habebant prophetiæ. Adde habuisse Angelum etiam rationem laborum, & persecutiōnū, quas Ioannes, & ceteri eius temporis Prophetæ ob testimonium, quod redderant de Iesu, patiebantur: ut etiam propterea nō sustinuerit uidere ad suos pedes prouolūtum eum Apostolum, cui tantum honoris à Deo concessum fuerat, ut pro Christo Domino, ac Principe suo pateretur. Quod ad laborum, qui pro Christo tolerantur, magnitudinem amplificandam maxime pertinet.**

Cur

Cur Christus dicatur habere scriptum in vestimento, & femore: Rex regum & Dominus Dominantium.

Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

SECTIO III.

Recolendum est ex superioribus vestimentum hoc esse eandem illam vestem I. aspersam sanguine, quam humanitatem Christi in passione cruentatam interpretati sumus. Deinde advertendum in femore Incarnationem Christi accipiendam esse. Quod ut melius intelligatur, sciendum est olim patribus veteris testamenti in more fuisse, ut femori admota manu iurarent, ut patet Genes. 24. cum Abraham dixit se tuo suo: Pone manum tuam subter femur meum, ut adiurem te per Dominum Deum caeli, & terra, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chanaan eorum, inter quos habito. Sed ad istram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac. Et Gen. 47. Iacob Patriarcha cum diem obitus appropinquare cerneret, vocavit filium Ioseph & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam, & veritatem, ut non sepelias me in Aegypto: sed dormiam cum patribus meis. Iuramenti autem huius mysterium erat adumbratio incarnationis Verbi, quod per assumptam humanitatem venturus erat ex illis patribus, ut exponit D. Greg. libro. 10. epist. Itaque cum per femur iurabant per Christum nasciturum ex suis posteris, qui ab illis ex femore propagandi erant.

In femore incarnatione Verbi accipiuntur. Femori admota manu iurabant patres. Gen. 24. 2. Gen. 47. 29.

Iuramentum hoc adumbratio incarnationis. D. Greg.

Arbitramur igitur, cum Christus dicitur habere scriptum in vestimento, & in femore, Rex regum, & Dominus dominantium, illud significari, quod non solum ipsa humanitatis assumptione, & Incarnatione, que per femur indicatur; sed passione etiam, que in vestimento asperso sanguine exprimitur, sit Rex regum, & Dominus dominantium. Itaque & quia Deus homo, & quia passus, & mortuus, Rex regum, & Dominus dominantium constitutus est a Patre. Propter primum dicitur a Paulo ad Hebr. 1. Quem constituit heredem universorum. Propter secundum dicitur eiusdem epist. c. 2. Eum autem, qui modico, quam Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum. Et Apoc. 1. cum Ioannes Christum appellasset. Primo genitum mortuorum, statim subiunxit: & Princeps Regum terre, ut eo loco vberius diximus. Atque haec est propria, & maxime omnium germana huius loci expositio, quam discrete tradit D. Greg. hom. 13. super Ezech. Quid vestimentum tuum est, inquit, nisi corpus, quod assumpsit ex Virgine? Et de vestimento multo ante Esaias aspicies per Crucem passionis sanguine cruentatum dixit: Quare rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari? Cui ipse respondit: Torcular calcavi solus. Solus enim torcular, in quo calcatus est, calcavit, qui sua potentia eam, quam tuus passionem vicit. Nam qui usque ad mortem Crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. III.

Literali expositio, & quia Deus homo, & quia passus, regem esse. Hebr. 1. 2. & 2. 9. Apoc. 1. 5.

D. Greg. Vestimentum corpus Christi rubrum passionis. Esai. 63. 2.

Per femur propagatio carnis est. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Mattheo, vel Luca narrantibus describuntur, in hunc mundum venit ex Virgine, & per incarnationis suae mysterium, quia Rex esset, & Dominus, cunctis gentibus indicavit, in vestimento, & femore scriptum habuit: Rex regum, & Dominus dominantium. Haec ille. Secunda est D. Ambrosij in comment. supra Apoc. per vestimentum sanctos, per femur humanitatem accipientis! Per vestimentum, inquit, sancti, per femur humanitatem accipientis! Per vestimentum, inquit, sancti, per femur humanitatem accipientis! Per vestimentum, inquit, sancti, per femur humanitatem accipientis!

D. Ambro. Secunda expositio per vestimentum sanctos, per femur humanitatem accipientis! Per vestimentum, inquit, sancti, per femur humanitatem accipientis!

Per femur agnoscitur hunc esse verum Deum, qui tales seruos possidet. Habet etiam in femore scriptum, quod sit Rex regum, & Dominus dominantium: quia in operibus, qua in carne positus gessit, cognitum est hunc esse verum Dei filium. Addit Ambrosius, posse etiam per femur intelligi patrem veteris testamenti, ex quorum stirpe Christus originem duxit, qui & ipsum figurarunt, & quod ipse futurus esset Rex Regum, & Dominus dominantium, apertis vocibus praedixerunt. Tertia est Pannonij: Vestimentum, inquit, a foris est, femur a natura: & Christus humanitatem a foris ex tempore quatenus persona Diuina habet, Diuinitatem autem a natura, a qua ab aeterno est Deus: & neutrum horum sine dignitatis honore habet, quia ab utroque Rex.

ARGUMENTVM.

Continuatur eadem sexta visio. Ligatur Satanas mille annis iisque finitis iterum soluitur. Congregatur Gog, & Magog in praelium. Iudicat Christus vniuersos mortales. Regnant Sancti cum Christo. Mitritur Diabolus in stagnum ignis cum omnibus, qui non sunt scripti in libro vite.

CAPVT VIGESIMVM.

DT vidi Angelum descendente de Coelo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post haec oportet illum solui modico tempore. Et vidi sedes, & federunt super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei, & Christi: & regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae Gog, & Magog, & congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terrae, & circumierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam.

Et